UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinqve Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1631

consummatum est clamauit. Arti. LXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-47044

Visual Library

Alijq́ue chariſſimi, hæc eſt vltima cœna, quam Dominus de hoc mundo tranſiens, accepit. Simus huius memores, quotieſcunque gula nos tentat, quotieſcunque abſtinentia oneroſa videtur, quotieſcunque ieiunium grauare videtur. Reuocemus tunc ad mentem fel & acetum, quod Dominus guſtauit, & aliud pro ſiti ſua non habuit, & delicatum cibum & potum horrebimus. Quomodo non erubeſcendum eſt nobis, quia ori noſtro ac linguæ noſtræ nihil negare volumus? Quærimus aut paramus quicquid ſenſualitas concupiſcit delicatum vel inordinatum, cum Dominus noſter in cruce pro nobis moriens ieiunat: & maximè ſitiens, fel & acetum pro ſua vltima valedictione guſtauit. Eſt ne æquum, vt ipſe pro nobis ploret, & nos rideamus? vt ipſe in cruce tribus clauis ſuſtentetur vndiq; vulneratus, ſine vlla requie alicuius membri, & nos dormire velimus, & delectationes quærere vſque ad ſatietatem? Ipſe fel guſtat & acetum, non habens guttam aquæ in ſiti ſua, & nos tam ſtudioſe quærimus, quod bene ſapiat, & bibimus ad genarum vſque colorationem? Bibimus, quod alij ſobrij nos odore percipiunt antequam vident. Oh non ſumus huius regis milites, qui in cruce mortuus eſt. Iſti autem, ſcilicet delicati & bibuli non ſunt, de quibus dicit Apoſtolus: Qui carnem ſuam cum concupiſcentijs crucifixerunt: de quorum paupertate, abſtinentia, & patientia, ſenſuum mortificatione in libris legimus, oculis verò vt videamus, neſcio vbi quærere debemus. Et de his ſatis.

quam ſumpſerit Chriſtus amariſſimam.

Ex cœna vltima Chriſti amariſſima quid diſcendum.

Galat. 5.

IESVS CONSVMMATVM EST, CLAmauit. Articulus LXII.

CVM omnia in Chriſto completa eſſent, quæ de ipſo ſcripta erant in lege, Prophetis & Pſalmis, & nihil reſtaret, niſi mori, *cum accepiſſet acetum, dixit: Conſummatum eſt.* Dicendo autem hæc verba, intelligitur Chriſtus omnes præcedentes paſſiones & pœnas, in ſpiritu quaſi ad vnam ſummam collegiſſe, & Deo Patri obtuliſſe pro humani generis ſalute. Ita etiam nos debemus in fine orationum noſtrarum, & operum noſtrorum bonorum, omnia ſimul, ſcilicet intentionem, ſtudium, laborem, & opus, &c. omnia Deo offerre. Cui vt magis placeant, in vnione operum & meritorum Chriſti debemus illi præſentare, vt edocta eſt ſancta Mechtildis à Domino.

Ioan. 19.

Verbo ſuo 6. in cruce quid Chriſtus indicarit.

Intentio noſtrorum operum exercitiorum quomodo ſpectanda.

IESVS CLAMORE VALIDO EXPIrauit. Articulus LXIII.

DVM Dominus Ieſus omnia propter quæ venerat, conſummaſſet, & iniunctam ſibi à Patre obedientiam perfeciſſet, appropinquans morti, & venis iam ex ſanguinis effuſione exhauſtis, viribus corporis vndiq́ue deficientibus, cœpit oculos langueſcentes deprimere, & facie palleſcere. Et quia in ſua poteſtate habebat ponendi animam ſuam, nec quiſquam ei tollere poterat, ſed quando ipſe volebat ponebat: cum adeſſet hora, quam ab initio præfixerat, caput ſuum verſus matrem modice inclinauit, quaſi vltimum aue vel vale ei impendens, & doloribus plenis, inq́ue anguſtijs mortis conſtitutus, hoc ſigno matri, ac ſi corpus ſuum laceratum, & tam crudeliter vndique perfoſſum ac diſſipatum, commendaret, innuit: rurſusq́;

Ieſus quomodo ſe diſpoſuerit ad mortem.

Ioan. 10.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN